



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 310. Dicens: data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 308. *Quidam autem dubitauerunt.*

Mira res, videre Dominum resurrexisse ex mortuis & tamen dubitare. Quid est hoc Domine? quantum capio & sapio. collectio illa fratrum in monte Ecclesia est Christi, in hac quid futurum sit, & contingat hic describitur. Boni sunt in hac & mali; prudentes virgines & fatuæ &c. Itaque quanquam omnes exterius Christum adorant in monte tam viri quam mulieres ob euidentem eius splendorem & maiestatem admirabilem, attamen interius non omnes æqualiter erant dispositi & corde inhærentes Domino, sed iudicijs an idem Christus, qui passus fuisset ante triduum & mortuus, an fors phantasma vel illusio vel Angelus quidam de cælo apparet eis illuminatus esset, differebant. Item affectibus amoris, fiducia, resignationis & permissionis sui in manu Domini, uti etiamnum in Ecclesia videmus indies accidere. ideo etiam pius Saluator, qui non vult sine nobis saluare nos, uti modo ita etiam tunc ulterius eos confirmavit in fide, per loquelam scilicet, ut inde eum magis magisque agnoscentes crederent firmiter.

Domine, hodieque dubij multi inueniuntur in fide, de tua præsentia substantia, existentia, mysterijsque tuis & doctrina tum extra Ecclesiam ut Iudæi, Græci, Schismatici, Turcæ, Hæretici; tum intra Ecclesiam charitatis spiritum & obedientiam non observantes. eo quod Christi dictis affectu pleno non adhæreant, & practice credant: quid hic facto opus est? Exurge Domine & veni, succurre eis & doce per viua argumenta ut credentes salui fiant, sicut fecisti hic cum dubitantibus.

§. 309. *Et accedens Iesus locutus est eis.*

Ut confirmaret dubitantes in veritate fidei accessit eos, ut eum & corpus eius propius videre queant, & agnoscere stigmata, & eius lineamenta, clarius, locutusque est eis, ut cognita eius loquela manifestaret se; omnem scrupulum & dubitationem ab eis sic auertendo. Tantus amor salutis nostræ in te est mi Iesu.

Accede ergo obsecro ad me cum erro; loquere mihi ad cor cum tibi non appropinquo charitate. Ecce audit seruus tuus patet tibi cor meum cui vni illud consecrati semel, & in dies debeo consecrare irrevocabiliter.

§. 310. *Dicens: data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*

Argumentum haud dubiè hic expectat, qui ista legit vel audit, quo sibi deuinciat Christus dubitantes suos, & ecce ait: Data est mihi potestas &c. an verò hoc argumentum est dubitantes in fide confirmandi, erigendi &c. æque dubium dixerit hoc facile omnis in fide dubitans. quid ergo facit, sapientissimus Magister? Nihil? Absit hoc à Dei sapientia: quid igitur? Non habet Ecclesia Christi, & mons ille in vertice monitum dubitantes, in fide, id est.

id est non credentes, sed dubitantes in spe, in caritate nutantes, hos illo argumento erigit, solidat, confirmat inculcando, quod sibi soli data iam esset quidem omnis potestas in cælo & in terra, sed non amplius ut mortali, & quam potestatem haberet à Patre Deo, iam deuicto peccato, diabolo, mundo, carne, sua morte communicaturum, ideoque iam triumphator & gloriosus appareat in æternum sic mansurus, iudex viuorum & mortuorum: & sic omnis fiduciæ & virtutum posuit in Ecclesia fundamentum. quis enim ausit mori pro virtute nisi id fundamentum esset à Christo positum.

Domine mi Iesu, data est tibi omnis potestas in cælo & in terra, Ergo mortis & vitæ es Dñs, ergo absoluendi potestatem habes & ligandi mittendi in gehennam, & saluandi, gaudeo, & congratulor tibi & mihi totis ex viribus, cum exultatione inenarrabili: Te ergo talem agnosco, te Talem saluto, ante maiestatem tuam cordis genua flecto cum omni humilitate & reuerentia petens gratiam & misericordiam tuam ut hic in spe & caritate solide tibi innitar, vt lapidi fundamentali & in cælis merear te videre & frui potestate tua & gloria.

§. 311. *Euntes ergo docete omnes gentes.*

Confirmatis discipulis in monte de eius certa potestate & Regno ob-
victoriam, & donum patris accepto, ordinat regnum suum, in omnem Ec-
clesiastico ordine terrarum orbem propagandum, vili quidem secundum
hominum iudicia modo, nempe per prædicationis stultitiam, sed quæ re-
vera effectu secuto, sit apparitura virtus Dei. ait igitur; Euntes, id est Apo-
stoli, missi, certi ad hoc munus destinati Angeli, docete omnes gentes, do-
centes omnem illam veritatem, per totum terrarum orbem, idque ex cha-
ritate non ficta & obedientia cæca, de castello in castellum, de prouincia in
prouinciam, regno in regnum non cessantes, donec vos & posterii vestri
consummaueritis orbem terræ, vt & ipsi mereamini gloriam regni cælestis
per labores & alij vestra opera adiuti eandem consequantur.

Domine si ita est, vt non nisi euntes, missi, legati debeant docere: ecce
paratum cor meum, & omnia membra mea, mitte, moue, remoue
impedimenta tua gratia vt non cessent, ego vel alij missi prædicare & docere
nomen sanctum tuum quod sit omni momento super me benedictum in
sæcula. Amen. Sed & mi Domine, quare permittis tot etiam alios non mis-
sos, nec euntes, sed sedentes in suis concupiscentijs honorum & commodo-
rum quæstum docere, qui se dicunt Apostolos & non sunt? Nescio quid hic
cogitem: nisi oportet esse hæreses; permitti zizania vt per hæc probentur
electi. Acquiesco, sed tamen deprecor hanc cladem & ruinam animarum.

Bb 3

DO